QVÆSTIO MEDICA,

MATVTINIS DISPVTATIONIBVS IN PVBLICIS ARTIVM SCHOLIS AGITANDA, DIE MARTIS XXIV. IVLII.

14.

D. ROBERTO BAILLIF Doctore Medico Facultatis Decano Moderatore prudentiſsimo.

Πότερον τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων, τέμνειν χρὴ τὴν ἐν ἀγκῶνι φλέβα τὴν εἴσω ?

MIRANDA feminarum natura, in terris μάλιστα τὸ θεῖον ἐν τοῖσιν ἀνθρώποισιν αἴτιον ἐστιν, ἔπειτα αἱ φύσιες τῶν γυναικῶν. Hæ à viris non temperie modò frigidiori & humidiori diſcrepant, ſed & vitæ periodos longè ab illis diuerſas obtinent, vt enim cunctantiùs ἐν χωρίῳ τῆς συλλήψεως formantur & accreſcunt, ſic celeriori pede per varia humani decurſus tempora ad orcum præcipitantur, Vitæ damna reſtibilis fœcunditatis mulier viri amplexu gauiſa reſarcit, orboſque penates læta prole renouat, hyſterico fundo humore εὐπερισφύτῳ & conſociali vt decet irrigato, qui in ſemen muliebre de ſe ad generationem etiam molæ inefficax, ius habet fraternum. Vterus σπλάγχνον ἄγχιστα ζωῶδες omnium abdomine contentorum nobiliſſimum, cuius τὸ ἔργον δηλονότι, γένεσις, tantum præſtat hepatis officio, quantum dignior eſt τοῦ σπέρματος εἰς τὸ ζῶον ἐπιστροφή, ipſa alimenti in ſanguinem elaboratione, odores perſentiſcit, mouetur in abdomine, ad ἰκμάλεον affinitate concupiſcentiæ ſitim explere cupiens, viam affectat.

HVIVS dignitati, purgatio illa per ſingulos menſes κατὰ φύσιν inſtituta, nihil quidquam detrahit, nec tam in commoda nobiliſſimæ partis peccat, quàm eius bonis adijcit, dum illi occaſionem concipiendi ſemen prolificum identidem renouat, fundum eius irrigando & tepefaciendo, ὥστε συναποτίκτηται τῇ γονῇ ἡ τροφή. Huius conſtantiſſimæ periodi cauſam ſolam vim naturæ eretiſmo concitatam agnoſcimus, quæ potens cauſæ moleſtæ per ἔφοδον, τὴν πλημμυρίδα ἐς τὴν ἔμπτωσιν conuertit, ac repletionem quæ iugi ſanguinis acceſſione carnibus & venis erat ναυτιώδης, quodammodo euomit, & ad ſedem voluptuarij amoris amandat, quæ nimia tentigine incitata, eam velut ad ſe rapit. Τὰ γυναικεῖα μὴ ἐπισχῆναι χρήσιμον hæc naturæ duce ſuſcepta, ipſas mulieres plurimis beant commodis: tunc omnis facultas morem gerit ſuo principi, & optima conſpiratione fit progreſſio inoffenſo curſu τῆς ἰσχύος πρὸς δύναμιν καὶ δυνάμεως πρὸς ἐνέργειαν, nutricatus œconomia omnis benè morata benéque conſtituta eſt; vitalis facultas vſui reſpondet, contumaciâ inſtrumentorum non impedita; diuinæ mentis actiones à ſcopo non aberrant ipſius imperio ſubiectæ; viciſſitudine quadam & conſtanti recurſu ſuccedit ſomnus vigilijs.

PAVCÆ ſunt mulieres, quibus purgatio διὰ τὴν μήτραν reſpondeat τῇ φύσει καὶ τῷ ὑγιαίνειν, plurimas τῶν καταμηνίων ἐπίσχεσις ἢ μοχθηρὰ ἀπόκρισις malè habet. Suppreſſio ſequitur aut ipſius vteri, aut humorum, aut totius corporis prauam διάθεσιν. Quælibet vteri intemperies προϋπάρχουσα ſiue συγγενὴς ſiue συντροφος à diæta φαύλῃ καὶ φλαύρᾳ non ſinit purgationes ſtato à natura tempore effluere, ſimiliter αὐτῆς τῆς μήτρας τὸ σῶμα πυκνὸν καὶ σκληρὸν ὕπαρχον, αἴτιον ἐπισχέσεως ἐστι, ſiue tale ſit à natura, ſiue ex euentu, cum hoc genere analogiam habet, καὶ ἡ ἐκ τῶν περικειμένων ἐν τοῖς ἀγγείοις θλῖψις. Peruerſio vteri & conniuentia vt conceptionem impediunt, ſic menſtrua ſupprimunt. Sanguis ipſe malè eſt diſpoſitus ὅταν ἤτοι παχὺ τὸ κενούμενον, ἢ γλισχρὸν γένηται. Totum corpus in vitio eſt cùm plus æquo exhauritur ἐν γυμνασίοις πλείοσι καὶ διαίτῃ λεπτῇ, καὶ τῇ πρὸς ἄλλα μόρια ῥοπῇ τῶν χυμῶν. Plethora, quæ ſi ſit ſumma derepente calorem natiuum ſuffocat, ſuppreſſionis menſtruorum eſt cauſa.

KATAMHNIΩN μὴ γινομένων ξυμβαίνουσι νόσοι, in quorum deſiderio ἐνίοισι αἱμορροΐδες· ἐνίοισι δὲ ὑποφοραὶ μακραὶ, ſed diſpari ſorte contingunt. Hæmorrhoides expurgata melancholica cacochymia ex menſtruorum ſuppreſſione nata leuationi eſſe poſſunt: longum verò alui profluuium ſæpe eſt τὸ κλεῖνον, nec dolorificum malum, liquidis excrementis foras protrudit, ſed hypochondria ſubſiſtēte intus anadrome, χειρούμενα remanent. Inde malum ad hepar prorepit, quod vicinas partes & ſocias in ſympathiam ſui laboris adducit, hinc ſumma viſcerum labes καὶ μεγάλη κάκωσις, hinc nutricatus deperditio & deprauatio, coloris fœditas, moles & character immutatus, & continuò, latentibus in occulto menſtruis, ſuffocatio hyſterica prehendit, erratici febrium paroxyſmi inuadunt. Si ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα τρέφεται μανίην σημαίνει. Malorum omnium vis calamitoſa, procedente tempore, redditur intolerabilis, cum grauiorum ſymptomatum acceſſione, tum enim iactantur mulieres, & torquent ſeipſas, frequenter concidunt, conſternuntur, omniáque, cerebro oppreſſo, ingruunt facultatis animalis ſymptomata ἐκ τῶν τούτων οἶμαι καὶ τὰ ἐπιληπτικά.

HÆC variorum ſymptomatum fœtura, quæ ex reconditis menſibus ſoboleſcit, vario rerum apparatu pro varia cauſæ morbificæ idea, varióque eius interiori receſſu, eſt propulſanda. Egreſſioni corporis de ſua præſcriptione, debetur neoteriſmus, vt præſidiis contrarietatum frigoris & ardoris temperies idonea comparetur: labore, inedia extenuato & conualeſcenti à morbo, victus conuenit plenior, repletum ſanguinis miſſio ἀπὸ φλεβὸς κατ᾽ ἀγκῶνα vacuabit; impurum purgatio eluet, ex aloe, agarico, hiera ex quibus cum myrrha, cinnamomo & croco parantur catapotia. Si vteri vitio purgationes non fluant, ei cultum purgationi habendæ oportet adhibere, & omni intemperie ad mediocritatem reſtituta ἡ ἔμφραξις ἀπὸ γλισχρῶν καὶ παχέων χυμῶν, αἰτίαν ὑγιεινὴν ἐστε ῥυπτικὰ καὶ τμητικὰ τῶν φαρμάκων ἔξει tam intus ſumpta vt hyſſopus, apium, aſparagus, ſyrup. de praſſio, de artemiſia, quam foris admota vt θερμάσματα calidarum rerum hyſtericarum, καὶ ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη ex radic. cyperi, ariſtolochiæ, ireos. Conueniet ſanguinis miſſio κατ᾽ ἰγνύαν καὶ ἀστράγαλον, quæ omnia nullatenus erunt vſurpanda in plethorico affectu, niſi ſanguinis miſſio è baſilica præceſſerit, in quali affectu γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι ἀγαθὸν ad minuendam plenitudinem, putredinem & febrem arcendam. Si peculiari morbo aliquo graui vterus afficiatur, prius remoueri debet, ne irruente ad partem affectam ſanguine, malum conduplicetur. Sic quæ ſteriles ſunt, quibus menſtrua ſubſtiterunt propter peruerſionem aut conniuentiam oris vteri & eius ſcirrhum, illis αἵματος ἔμετος ὠφελέει.

ERGO SVPPRESSIS MENSIBVS BASILICÆ SECTIO.

Proponebat Andegaui IOANNES NVMEN, Hybernus. A. R. S. H. M. DC. XXXV.